

personae et scientiae celebris, nomine Gilipertus^a, qui regi erat fidissimus quique eadem regione extitit oriundus, huiusmodi verba est locutus: 'Si consilium meum audire et probare, o cesar, dignaris, spero me, opitulante Deo, tuis satisfacere votis. Publice ergo simula temet nimis offensum erga me, sed clam auri copiam mihi trade. Cumque hoc fuerit factum, fugiam quasi a te expulsus ad sancti Dyonisii cenobium, ut, quibuscumque modis valebo, vota tua ibi explebo'. Haec igitur simulatio idcirco excogitata, ut rei ipsius suspicio omnis videretur ablata, regi placuit. Dehinc clericus, clam accepto auro, velut expulsus nimiumque tristis fugit, et offensum sibi regem omnimodo indicans, ad cenobii supradicti abbatem venit. A quo benigne susceptus exponit sui causam adventus pariterque suppliciter rogat, ut pro Dei amore suaque oblatione, si quam forsitan illo dignam possit presentare, tam ipse quam congregatio sancta sibi subdita pro se dignetur orare. 'Nichil est', inquiens, 'quod, ut credo, denegetur orationibus vestris, utpote qui tanto patrocinio, illo equidem sanctissimo Dyonisio, suffulti estis. Quamobrem, quia non vacua manu vobis pro me exorantibus apparebo, apud eundem patronum vestrum pro me affectu sincero et vos precor intercedite et michi id ipsum facere locum et tempus hic commorandi prestate'. Haec et hiis similia clerico proferente, ostendit abbati pondus ingens auri, dicens se promisisse sancto Dionisio idem aurum offerre. Videns autem abbas tantum auri, nimium letus efficitur, et omnia quae petiit clericus pollicebatur^b. Mox velut hospes gratissimus suscipitur et cum omni humilitate ibidem per triduum hospitatur, nemine versutiam illius suspicante. Post haec humiliter postulat ostendi sibi locum, in quo ponat aurum, quod soli sancto Dyonisio fuerit promissum. Quam petitionem abbas, quia satis avidus erat auri, libentissime suscipiens^c eum ad sancti Dyonisii sepulcrum duxit. Ceterum clericus versutia plenus explorandi gratia, an ipsius sancti seu alterius sepulcrum idem foret, diutius perquirens, abbate vero econtra affirmante, aurum tunc demum inposuit, et oratione facta, una cum abbate discessit. Deinde^d etiam, ut in cunctis aptior existeret, precio dato refectionem sumptuosam monachis exhibens privatim et communiter eorum se orationibus commendavit ipseque simul orationi continuo vacare simulavit, adeo ut etiam in nocte tertia adventus sui, quam furto sacratissimo iam oportunam esse credebat, quasi pro orationis furtivae gratia licentiam peteret una cum custodibus noctu commorandi in ecclesia. Quod dum facile impetraret, utpote qui in nullo suspectus videbatur, potus copiam tam-

a) Gisilbertus *nachträglich am Rande hinzugefügt* c. b) pollicebatus *corr.* pollicebatur c. c) suspiciens *später corr.* suscipiens c. d) Dein c.